

*Cum de beneficio.* §. h. t. in 6. Atque de hisce beneficiis regularibus posterioris generis, procedunt relata verba indulti apostoli primarum precum: quamvis piissimi imperatores, ne quoquo modo turbent disciplinam regularem, etiam horum beneficiorum regularium dispositionem plerumque soleant relinquere praelatis, et superioribus ordinum. Wagnereck loc. cit. Nisi dicere placeat, istud ex eo contingere, quod parochiæ, seu alia ejusmodi beneficia regularium, a potiori sint accessorie unita ipsorum monasteriis, sicque redeant dicta superius n. 399.

583. *Beneficia juris patronatus laicorum excipiuntur ab indulto primarum precum: secus dicendum de beneficiis juris patronatus ecclesiastici.* — Tertio ab indulto *Primarum precum* excipiuntur beneficia quæ sunt juris patronatus laicorum. Huic enim Pontifex nunquam censetur derogare, nisi hoc ipsum clare exprimat; ne cæteroquin laici quoquo modo retrahantur a fundandis, ædificandis, vel dotandis ecclesiis, aliisque beneficiis. Glossa c. *Cum dilectus.* 28. §. *Quempiam presentare.* in fin. de *Jure patronat.*; Chokier, ubi supra. sect. 2. §. *Præsentationem.* citans alios. Secus tamen est dicendum de beneficiis juris patronatus ecclesiastici, utpote in quibus cessat allata ratio: simulque, quia indultum *Primarum Precum* inter alia expressam mentionem facit de beneficiis ad quorumvis « præsentationem pertinentibus. » Accedunt dicta superius n. 395. et 424.

584. *Primæ preces locum non habent, nisi collator ad minus quatuor beneficia conferre possit.* — Quarto. *Primæ Preces* imperatoris locum non habent, nisi collator ordinarius ad minus quatuor beneficia conferri possit: nam, si is unum duntaxat, vel alterum conferendum habeat, aut saltem non nisi tria beneficia conferre possit: non tenetur collator hujusmodi *Primæ Preces* imperatoris admittere. Quinimo hæc clausula. « Salvo quod ipsi collatores, vel collatrices, saltem quatuor beneficia ecclesiastica conferre habeant. Indulto apostolico *Primarum Precum* porrigendarum, imperatoribus neo-electis concedi solito, expresse inseri consuevit: » ne alioquin facile contingat, ut quis toto vitæ suæ tempore impediatur ab usu juris liberæ suæ collationis. Textus memorati indulti. n. 573. relatus Wagnereck ubi supra § 2. §. *Saltem quatuor;* Pirbing, h. t. n. 370, limit. 3; Engel, eod. n. 70. ac præsertim Chokier, cit. sect. 2. §. *Saltem quatuor beneficia;* qui ibidem.

§. *Super singulis beneficiis ecclesiasticis, nonnullas alias limitationes adducit.*

585. *Indultum primarum precum subsistit, etsi repugnet juri communi, et concordatis Germaniæ: et cur?* — Dices. Indultum *Primarum precum* repugnat et juri communi, et concordatis Germaniæ; ergo non videtur admittendum. Antecedens probatur; tum quia *Primæ preces* sapiunt naturam gratiarum expectativarum, quæ cum inducunt votum captandæ mortis, etiam gentilibus exosæ fuerunt, eorumque legibus prohibita; ut legitur cap. II. de *Concession. præbend.*; tam quia in concordatis Germaniæ conceditur collatoribus ordinariis libera collatio beneficii vacantis in mensibus alternis: sed talis facultas impeditur per *Primæ Preces* imperatoris. Resp. neg. consequent. Quia enim indultum *Primarum precum* conceditur auctoritate solius Papæ (qui de jure potest supra jus dispensare, c. *Proposuit.* 1. de *Concession. præbend.*) et quidem intuitu eximiorum meritorum imperatoris erga ecclesiam, quam veluti matrem et dominam recognoscit, ejusque fidelem advocatum, pugilem et athletam adversus schismaticos, hæreticos, turcas, aliosque fidei et Christi nominis hostes se profitetur, atque exhibere consuevit: hinc neutrum allegatorum inconvenientium urget. Et quidem, qua ratione Pontifex sua suprema potestate tollat deformitatem, quam videntur continere gratiæ expectativæ, dicitur inferius tit. VIII. de *Concession. Præbendæ,* etc. § 3. n. 43. Ad alterum patet ex eo; quia sæpe dictum indultum apostolicum quoad *Primæ preces* ab imperatore interponendas expresse derogat concordatis Germaniæ, ibi: « Non obstantibus — concordatis nationis Germanicæ, ac eorundem concordatorum confirmatione. » Quia enim privilegium *Primarum precum* est longe antiquis concordatis Germaniæ, juxta dicta n. 571. non sustinisset Fridericus imperator, auctor concordatorum, per hæc quidpiam derogari suo, suorumque successorum imperatorum tam eximio, speciali, simulque pervetusto privilegio.

586. *An imperator eandem personam possit nominare ad plura beneficia: et quo modo?* — Quæritur IV. An imperator eandem personam, porrectis *Primis Precibus,* possit nominare ad plura beneficia? Resp. Affirmative: ita tamen, ut quam primum ejusmodi persona de aliquo dictorum beneficiorum provisiva fuerit, cesset nominatio ipsius quoad alia

beneficia. Patet istud ex tenore indulti apostolici, supra n. 573. jam relati: vers. *ita quod Celsitudo.* et amplius declarat Chokier, ibid. in *Schol.* asserens, id fieri posse vel *simul;* puta, quia Cæsar per idem diploma, atque sub unico contextu verborum, quempiam nominat ad diversas ecclesias, seu canonicatus. Vel *successive;* puta, hodie nominando precistam ad canonicatum Frisengensem proxime vacaturum, et cras per aliud diploma nominando ipsum ad canonicatum Augustanum, vel Ratisbonensem.

587. *Quid prosit talis nominatio ad plura beneficia?* — Proderit autem hujusmodi multiplicata ad plura beneficia nominatio, ut quis certius, citiusque consequatur beneficium: nam citius solet contingere vacatio quædam in pluribus, quam in una solummodo ecclesia. Quamvis ac eveniente, atque subsequuta collatione beneficii, omnes aliæ gratiæ, seu nominationes ad alia beneficia mediante *Primis Precibus* factæ, illico cessent: Ne videlicet præter intentionem concedentis, qui plura beneficia consequatur, contro c. *De multa.* 28. h. t. cum similibus, et contra c. *Si Clericus.* 11. eod. in 6. juncto textu memorati indulti apostolici, ibi: « In tamen, quod quamprimum persona sit nominata, de aliquo beneficio provisiva fuerit, ejus nominatio quoad alios collatores, vel collatrices facta, ipso jure expiret.

588. *Etiã post adeptum prius beneficium, potest imperator eidem precistæ novas preces primarias ad aliud beneficium porrigere.* — Per hoc tamen non negatur, quin etiam post adeptum prius beneficium, sicque consumptam priorem gratiam, seu nominationem, possint eidem precistæ per imperatorem novæ *Preces Primariæ* ad aliud beneficium porrigi; tum quia per hoc nulli generatur præjudicium; eo quod quælibet ecclesia, vel collator non nisi semel per interpositionem *Precum Primariarum* gravari valeat; tum quia vel posterius beneficium est compatibile cum priori; et nunc precista potest utrumque simul retinere: vel illud est incompatible cum priori; et tunc per illius assecutionem pacificam vacat prius beneficium ipso jure, cit. c. *De multa.* h. t. sicq; rursus nullum oritur inconveniens, quamvis precistæ subveniatur per collationem posterioris beneficii, veluti pingtoris, aut alias sibi magis proficui, tum tandem, quia memorata clausula indulti apostolici, *Ita tamen, quod quamprimum,* etc.

solum intelligenda est de cæteris *Primis precibus,* quas antea obtinuit precista pro diversis ecclesiis ad citius consequendum hac ratione beneficium: non autem tollit Imperatori facultatem concedenti alias *Primæ preces* tali precistæ post prioris gratiæ consumptionem. Rota decis. 738. apud Card. Seraphinum, quam allegat, et sequitur Chokier, ubi supra sect. 3. §. *Ita tamen quod.*

589. *Precista debet acceptare beneficium vacans intra mensem.* — Quæritur V. Infra quod tempus teneatur precista acceptare beneficium vacans; et quid, si intra illud negligat istud acceptare? Resp. I. Ut *Preces primariæ* imperatoris suum sortiantur effectum, tenetur precista infra mensem, postquam ipsi vacatio oblata beneficii innotuerit, per se, vel per procuratorem ad id speciale mandatum habentem, ejusmodi beneficium acceptare: sicque ante clapsum mensem collatori ordinario, v. g. episcopo, vel capitulo capitulariter congregato, insinuare rescriptum *Precum imperatoriarum.* Ita Chokier, in *Preces Primariæ* sect. 4. §. *Intra mensem.* et §. *Duxerint acceptanda;* Pirbing, h. t. n. 377. Idque patet ex tenore indulti apostolici ab eodem relati, illis verbis: « et quæ personæ, pro quibus *Preces,* seu Nominationes ad illa (beneficia) se extendant, infra mensem, postquam ipsis vacatio hujusmodi beneficiorum innotuerit, duxerint acceptanda. » Atque istud merito statutum fuit, eo quod diutina ecclesiarum vacatio, soleat eis esse dispendiosa. c. *Quam sit Ecclesiis de Election.* in 6.

590. *Mensis iste, quando currere incipit?* — Resp. II. Mensis iste datus ad acceptandum beneficium, incipit currere a die, quo ipsi precistæ innotuit vacatio illius beneficii. Textus est in citato indulto apostolico, illis verbis: « Infra mensem, postquam ipsis vacatio hujusmodi beneficiorum innotuerit. » Atque talem notitiam censetur precista habere a tempore vacationis jam notoriæ in loco, vel ecclesia beneficii vacantis: et alioquin is imputet sibi, si in hoc casu, quo de ipsius commodo agitur, id quod per se, vel per alium scire poterat, ignoravit, juxta textum notabilem in Clem. un. § fin. de *Concession. præbend.* Quamquam Chokier, ubi supra et post ipsum, Pirbing, h. t. n. 378. istud intelligendum censeat, nisi precista justam ignorantie causam probaret: puta, quia longe distabat a loco vacantis beneficii, vel quia procurator suus, quem habebat in loco beneficii, interea mortuus fuerat, vel hujusmodi.

Glossa in cit. Clem. un. §. *Nota erit. de Concess. præb.*

591. *Post elapsum mensem, et nulla facta insinuatione primarum precum, collator ordinarius potest beneficium conferre.* — Resp. III. Post elapsum mensem, ac nulla facta insinuatione *Primarum Precum* imperatoriarum, collator ordinarius potest conferre beneficium vacans: si tamen non contulerit, tunc re adhuc integra, poterit precista etiam post mensem, insinuando *Preces primarias* imperatoris, acceptare beneficium. Ita Chokier loc. cit. §. *Post mensem*; Wagnereck, ubi supra. § 3. vers. *Quæres. II*; Pirhing, h. t. n. 378. Prior pars probatur ex eo: quia collator ordinarius nullo jure impeditur, quominus conferat post mensem, postquam precista neglexit eidem, et debuerat, *Primas preces* insinuare.

592. *Si tamen non contulerit, potest precista etiam post mensem preces insinuare.* — Altera pars, spectato jure communi, non caret difficultate. Siquidem fines mandati, imo et indulti apostolici, diligenter sunt observandi, c. *Cum dilecta. 22. de Rescript.* et l. *Diligenter.* ff. *Mandati*: ergo, cum in indulto apostolico pro insinuatione *Primarum Precum* assignetur spatium unius mensis, videtur dicendum, quod post illud precista nequeat amplius acceptare beneficium, insinuans tunc primum *Preces primarias*. Verum respondetur istud procedere re amplius non integra: secus dicendum re adhuc integra, seu quando beneficium necdum alteri collatum fuit. Tunc enim posse adhuc acceptari beneficium post mensem, probatur ex clausula, *Non obstantibus*, quæ indulto apostolico sect. 5. § 1. habetur inserta, illis verbis: « Non obstantibus — de insinuatione, publicatione et diligentibus per acceptantes desuper faciendis. » Nam per hanc clausulam remittitur insinuatione, publicatio, et diligentia de insinuatione acceptationis beneficii intra mensem necessario faciendæ, ubi res adhuc existit integra; atque hæc relinquitur arbitrio nominati, qui proinde re integra etiam post mensem poterit insinuare *Primas Preces*, beneficiumque acceptare. Alioquin vero, si non esset addita ista clausula derogatoria, existimat Chokier, ubi supra. §. *Intra mensem*, quod precista excideret suis precibus, si intra mensem per se, vel per alium non acceptaret: cum hoc ipso non censetur observare formam, qua non observata actus est nullus. Ac per hoc pro-

batur simul altera pars datæ conclusionis.

593. *An precista post acceptatum semel beneficium, possit variare? Et ratio dubitandi.* — Quæritur VI. An precista post acceptatum semel beneficium possit variare, et ab illa acceptatione tacite, vel etiam expresse resiliendo, petere secundum beneficium vacans, nullique adhuc debitum? Ratio dubitandi, et affirmativam tenendi, est: quia in indulto apostolico *Primarum Precum*, sect. 4. videtur relicto opinioni ipsorum precistarum, quod beneficium vacans ex pluribus sibi oblatis velint acceptare: uti desumitur ex verbis illis n. 589. relatis: « Duxerint acceptanda. » Verum his non obstantibus.

594. *Negative respondetur.* — Resp. I. Precista post acceptum semel beneficium nequit variare, nec postea petere secundum vacans, si negligens fuerit in acceptando primo beneficio. Ita Chokier, ubi supra. sect. 4. *Intra mensem.* vers. *Dubitatur ulterius.* et Pirhing, h. t., n. 379. Ratio est, tum quia jura improbant variationem: ut l. *Servi electione.* ff. *de Legat. I.* im: « *Servi electione legata, semel duntaxat optare possumus:* » juncto cap. un. *de Postulat. prælat.* in 6. et reg. 21. jur. in 6. « *Quod semel placuit, amplius displicere non potest:* » cum concordantiis; tum quia juxta c. *Si Clericus. 11. § 1. de Præbend.* in 6. quando clericus, cui mandabatur provideri de præbenda primo vacatura, negligit eam sibi debitam petere, aliam postmodum prætextu ejusdem mandati petere nequit: « *Cum facta ei gratia per ipsius negligentiam sit extincta,* » ut loquitur Pontifex ibid.

595. *Solvitur ratio dubitandi; atque declaratur, qua ratione precistæ tribuatur facultas acceptandi primum beneficium vacans, si velit.* — Nec obstat ratio dubitandi n. 593. allata. Nam per clausulam illam, *Duxerit acceptanda*, solummodo tribuitur precistæ facultas, ut possit acceptare primum beneficium vacans, si velit, atque istud acceptandum duxerit: sin aliter possit expectare secundum vacaturam, illud acceptare; si nec istud, tertium; et sic de cæteris. Non vero per clausulam illam tribuitur precistæ facultas variandi, postquam semel primum vacans beneficium oblatis *Precibus primariis* acceptavit. Quin imo clausula illa satis aperte oppositum innuit, dum permittit quidem libertatem de acceptando, non vero de variando post factam semel acceptationem: junctis præsertim juribus proxime allegatis. Chokier, loc. cit.;

Wagnereck, ubi supra, vers. *Quæres III*; Pirhing, cit. n. 379.

596. *Limitatur dicta sententia negativa in certis casibus.* — Resp. II. Limitatur tamen data conclusio in nonnullis casibus, in quibus post acceptatum prius beneficium vacans, potest precista petere secundum. Sic quippe contingit, quando primus actus acceptationis fuit invalidus: tunc enim reiterandus est, reiterarique potest, l. *Qui per salutem.* ff. *de Jurejurand.* Deinde id ipsum contingit, quando precista acceptans beneficium primo vacans non potest consequi illud, quod acceptavit, arg. l. 2. ff. *de Optione legat.* et l. *Si Maritus.* § fin. ff. *ad leg. Jul. de Adulter.* Chokier, loc. cit. allegans Hostiensem c. *Quia cunctis.* § penult. *de Concess. præbend.* in 6. et duas alias limitationes subjungens, quæ tamen in re sub prioribus comprehenduntur; atque videri possunt apud ipsum, vel Pirhing, atque Wagnereck, ubi supra.

597. *Quid dicendum de executoribus primarum precum, per imperatorem deputandis?* — Quæritur VII. Quid dicendum de executoribus *Primarum precum* per imperatorem deputandis? Resp. I. Etsi nominatio ad beneficium ecclesiasticum virtute indulti apostolici per imperatorem quantumvis laicum facta, censeatur papalis; cum is facere intelligatur, cujus auctoritate vel mandato actus fieri probatur, c. *Mulieres. 6. § fin. de Sentent. excommunicat.* et c. *Qui facit per alium. 72. de Reg. jur.* in 6. cum similibus. Quia tamen facile contingeret, ut ordinarii collatores non parerent imperatori noviter creato, ejusque *Primis Precibus*: hinc Pontifex eidem concedit executores, qui per se, vel alium, seu alios compellant collatores ordinarios ad conferendum precistis beneficia vacantia, juxta tenorem *Primarum precum* imperatoriarum, ~~et~~ istud ex textu indulti

apostolici imperatoribus neo-electis concedi soliti, quod verbatim refert Chokier, ubi supra, sect. 4. Simile quid habetur c. *Cum nostris. 6. de Concess. præbend.* et c. *Constitutus. 19. de Rescript.* et alibi sæpe, ubi pariter pro executione litterarum apostolicarum ad beneficia, deputantur certi executores.

598. *Executores hujusmodi, nec non eorum subexecutores, debent esse constituti in dignitate ecclesiastica.* — Resp. II. Executores hujusmodi, nec non eorum subexecutores, quos illis pro se ipsis subdelegaverunt, debent habere qualitates illas, quæ ex parte delegati apostolici requiruntur in c. *Statutum. 11. de Rescript.* in 6. nempe, ut sint in dignitate ecclesiastica constituti, vel personatum obtineant, seu cathedralium ecclesiarum canonici existant. Ita Chokier, cit. sect. 4. §. *Quodque cuicumque.* et §. *Per se vel alium*, post Rotam decis. 99. « *Notat quod executor. in antiq.* » et concordant dicta superioris lib. l. tit. XXIX. *de Officio et potestate judicis delegati.* § 3. n. 70. et 73. ubi et hujus ratio redditur.

599. *Atque auctoritate apostolica, etiam per censuras, possunt exequi primas preces.* — Resp. III. Executores, ac subexecutores memorati, auctoritate apostolica, etiam per censuras ecclesiasticas, exequi possunt *Primas preces*: habentque eadem auctoritate apostolica liberam facultatem præstandi ea omnia, quæ ad dictarum precum; seu nominationum imperatoriarum effectus consequendos opportuna fuerint. Ita textus expressus memorati indulti apostolici, sect. 4. et Chokier, ibid. apud quem plura alia videri poterunt de *Precibus primariis* imperatoris; quamvis præmissa sint cæteris notabiliora, scituque magis necessaria. (ADNOTATIO LVII.)